

I. SENECA LŪCĪLIŌ SUŌ SALŪTEM.

¹Ita fac, mī Lūcīlī : vindicā tē tibi, et tempus quod adhūc aut auferēbātur aut subripiēbātur aut excidēbat collige et servā. ²Persuādē tibi hoc sīc esse ut scrībō : quaedam tempora ēripiuntur nōbīs, quaedam subdūcuntur, quaedam effluunt. ³Turpissima tamen est jactūra quæ per negligentiam fit. ⁴Et sī volueris attendere, magna pars vītæ elābitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tōta vīta aliud agentibus.

EXORDIUM :
tempus
colligat et
servet

¹Quem mihi dabis quī aliquod pretium temporī pōnat, quī diem aestimet, quī intellegat sē cotīdiē morī ? ²In hōc enim fallimur, quod mortem prōspicimus : magna pars ējus jam præterit ; quidquid ætātis retrō est mors tenet. ³Fac ergō, mī Lūcīlī, quod facere tē scrībīs : omnēs hōrās complectere. ⁴Sīc fiet ut minus ex crastinō pendeās, sī hodiernō manum injēceris.

Mortem retrō
esse

¹Dum differtur vīta trānscurrit. ²Omnia, Lūcīlī, aliēna sunt, tempus tantum nostrum est : in hūjus rei ūnūs fugācis ac lūbricæ possessiōnem nātūra nōs mīsīt — ex quā expellit quicumque vult. ³Et tanta stultitia mortālium est, ut quæ minima et vīlissima sunt, certē reparābilia, imputārī sibi cum impetrāvēre patiantur. ⁴Nēmō sē jūdicet quicquam dēbere quī tempus accēpit ; cum interim hoc ūnum est quod, nē grātus quidem, potest reddere.

Quantulī pretiī
tempus
aestimētur

¹Interrogābis fortassē quid ego faciam, quī tibi ista præcipiō. ²Fatēbor ingenuē : quod apud luxuriōsum sed dīligentem ēvenit, ratiō mihi cōstat impēnsæ. ³Nōn possum dīcere nihil perdere, sed quid perdam et quārē et quemadmodum dīcam ; causās paupertātis meæ reddam. ⁴Sed ēvenit mihi quod plērīsq̄ue nōn suō vitiō ad inopiam redāctīs : omnēs ignōscunt, nēmō succurrit.

Sē temporis
impēnsæ
ratiōnem habēre

¹Quid ergō est ? ²Nōn putō pauperem cuī, quantulumcumque superest, sat est. ³Tū tamen mālō servēs tua, et bonō tempore incipiēs. ⁴Nam ut vīsum est mājōribus nostrīs : « Sēra parsimōnia in fundō est. » ⁵Nōn enim tantum minimum in īmō, sed pessimum remanet. ⁶Valē.

PERŌRATIŌ :
sēram
parsimōniam
in fundō esse